

152

Responsis Joh. Schafffii Responsis Georgio Calixto redacta ejusq
Scripto acerto opposita Wittib. 1649.
festa prob. Calixtiniss. Harmoniaevangelicae 4^{ta}
ausgabnt. 1650. S. Verba Bdry. 1650.
Misericordia Domini Calixtiniss. ymagines. Inaug. Joh.
Lilsumus in Laijig. aufgetragen 1650.
Vrijwillig Doc. Joh. Schafffii via d. D. Georg. Calixtis folgt
durchlong. Et. Attib. 1651.
Apologia D. Abt. Calovij in notis ex Antwerp. finit
Vrijwillig Calixt. D. Georg. in Joh. Latermans
fr. brevem legi. Expositio in die natus Calixtiniss. 1651.
S. Joh. finit. Latermans in D. Georg. ob. Abraham. Lator
in ipsius postulatis Sincrictis terigit. Witt. 1651.
Judicium D. Hulsemanni de Calixtis desiderio Concord.
Ecclasticis. Lier. 1651.
Vest. condign. Post und evocating Mich. Baumus. D. Theol.
in Rommelsberg & D. Missentus in D. Abt. Calovij 1651.
Installatio ministrorum. Reg. Baumus Missentus vng
dum & rostebam Corpus D. Baumus Vredens, spon. D. Dirige.
Extruct. Rommelsberg 1650.
Extruct. Rommelsberg 1650. Georg. Franch. Lamb. Log. Gott.
Die Apud. in Rist. f. d. D. Georg. Calixti emend. Theol.
Epistola exegetica M. O. Walde Stumpff. Tschirn. 1649
Calixti ad D. Schafffum.
Examen Epist. exegetica O. Walde. 1651.
Extruct. Rommelsberg 1650. f. d. Joh. natus,
prophetus ob uox audi. non domini non voc. profec.
quidam fuit qui se ut. Nic. Baring. Et. Theol.
Abymenigto famoso festo legi. die fore, Planckenz
zum d. mansuiss. labant. Prospicteos ducit D.
Balth. Me. m. orum Rintels 1649.
Similissim. Buxtor. Rintg. Phil. 3 v. 20-21. bij beelding
D. Joh. brouglis as goetsum. Et. Et. Et. Et. Et. Et. Et. Et. Et.
Petr. Andri. Heerr. tunc folis Coadjut. 1648.

xvi

ANDREÆ-HENRICI Butcholtz
art. M. Philos. Pract. & Poës. Profes.
foris publici

ORATIO PANEGYRICA
DE
PRINCIPIO
FIDEI CHRISTIANÆ.

Habita

V. Eid. Novembr. An. c^{lo} Iec x^rIII. in Templo Collegij,
Cum ei SS. Theologia Professio publica, in incluta, qua
RINTELII ad VISURGIM est, Academia Holsato-
Schaumburgica extra ordinem deman.
daretur.

Rintelij ad Visurgim,

Typis exscripsit PETRUS LUCIUS, Typographus Academicus,
ANNO c^{lo} Iec x^rIII.



Illustriſſimo & Generoſiſſimo Domino,
DN. JOANNI Grenſtett
A X E L I I F I L I O

Regiæ Majestatis & Regnorum Sveciæ Se-
natori & Cancellariæ Consiliario eminentiſſimo,
nec non apud pacis tractationem in Germania Le-
gato supremo, Baroni in Kymitho / Domino in
Sieholm/Hörnungsholm & Tullgarn/et.
Domino & Patrono meo beni-
gniſſimo.

*Hanc Orationem inauguralemente & manu in felix Novi Annii
augurium*

conſecro & offero

Andreas-Henricus Bucholz/
SS. Theol. nection Philosoph.
Morakac Poëſ. Prof. Publ.

Oratio Panegyrica.

De

P R I N C I P I O F I D E I
C H R I S T I A N Æ.

Magnifice Domine Rector & Procancellarie.

V I R I

Admodum Reverendi, Consultissimi, Clarissimi, Excel-
lentissimi, Doctissimi.

Et tu nobilissima & Eruditissima Studio forum Corona.



Uanti nostra intersit, nosse
indubitata, & omni exceptione
majora sapientia cælestis ORA-
CULA, è quibus ista salutariter di-
scimus, quæ humanum genus,
Protoplasterum lapsu in damnationis barathrum
præceps datum, erigunt, & ad amissam felicitatem
reducunt; imò, quæ nostram nobis miseriam & ægri-
tudinem spiritualem commonstrant, & huic tam le-
thali animæ vulnieri medicinam parant, vires instau-
rando, tum MENTIS, quâ DEUM cognoscimus, tum
VOLUNTATIS, quâ ipsi præstamus obsequium.

A 2

Quanti

Quanti, inquā hæc scire, nostra intersit; & isti cum dolore experientur, qui in ultimo judicii termino à Christo separati, antiquo isti Draconi jecur suum & omnia membra dilanianda submittere cogentur: & hi cum gaudio percipiunt quotidie, quorum inconcussa fides verbo Dei nixa, servatoris sui vulneribus ita se involvit, ut in iis omnem suam medicinam, omnem opem, omnem salutem unicè sitam esse, & fateatur & sentiat. Quemadmodum enim istos, quorum omnis labor, & industria in rerum cognitione posita est, suum prius principium fixum scilicet & æternum Naturæ statutum, cognitum habere oportet, quam corporum sive simplicium sive miscitorum qualitates, vires, naturas, perspicaci mentis acie contemplari. Et sicut, qui morbo lethali confluantur, spem pristinæ sanitatis concipere nequeunt, nisi monstrato prius Medico, cuius auxilio & ope vis morbi pellatur. Ita de salute nostra æterna solicii esse non valemus, si ne principium quidem nobis sit cognitum, cuius svasu & ductu perniciem effugere datur, & ab exitio salvum esse; imò, si ægritudinem & miseriam nostram ipsi nondum habeamus cognitam & perspectam. Ita autem vitio naturæ, proh dolor! depravati sumus, ut in extremo mortis articulo constituti, ne morbidos quidem nos senti-

De Principio Fidei Christianæ.

5

Sentiamus nec sentiremus unquam, nisi Oraculi di-
vini Speculum, Legem D E I intuentes, quatum à fa-
lute & sanitate simus dejecti, Spiritus Sancti admo-
nitione cognoscamus. O nos miseris! quoties nobis
sumus relieti. O nos cæcos! qvum luce ista, quæ beat-
is deluper affulget, destituimur. Tantum enim ab-
est, inbecillibus ipsis & fractis viribus, quas post la-
psum habemus reliquas, salutem nostram procura-
ri, ut potius in extremam impietatem nos dejiciant,
& rudi intellectus penicillo, sub isto schemate Deum
nobis pingant, quod à D E I optimi natura penitus
abhorret. Quisquis autem meliora sibi de se polli-
cetur, ethnicorum quæso infandos errores revolvat.
Proh Deum immortalem! quanta ibi cœcitas, quam
immensa perversissimarum de D E O opinionum se-
ges; quam hac vice demetere, vel ob oculos saltim
vobis sistere si vellem, vereor, ne dies prius quam di-
cendi materia deficeret. Quis enim est nostrum, Au-
ditores, cui iste Saturnus, Jupiter, Neptunus, Pluto,
Mercurius, Mars & alii vix in numerum redigendi
ethnicorum Dii, dum in vivis essent, omnes scelera-
tissimi partim infanticidæ, incestuosi, Adulteri,
Scortatores non sint auditæ & in Poëtarum scriptis
lecti? Ita nimirum sibimet lapsus fuit, post lapsum,
Mens hominis perversa, ut, quò deteriora, quo ab-

A 3

sur-

surdiora somniaret & statueret mendacia , eò per-
spicacior haberetur & felicior , usque adeò , ut non
antè Deos fingere desisteret , quam ulla creaturarum
forma esset residua , cui divinitas tribueretur . Ne-
que enim , Deos facere , qui aliquando hominum
monstra fuerant , eisq ; scorta sua assignare , satis erat
malitiæ hominum , nisi & brutis animantibus , Bo-
bus , Capris , Cervis , Volucribus , quin & insectis , ser-
pentibus , vermiculis ; imò & rebus sensu omni caren-
tibus , arboribus , lapidibus , stipitibus , alliis & cepis
(& quibus non?) cultum soli vero Deo debitum spon-
tē obtulissent : ut ita non abs re de ista hominum in-
Diis fingendis perversitate queratur Apostol⁹ , quod ,
dum suis viribus , sui intellectus lumine D E I verita-
tem inquirere laborarunt , stulti s̄int facti , & inspiens
ipsorum cor obscuratum sit ita , ut incorruptibilis Dei glori-
am mutarent in similitudinem imaginis corruptibiliis ho-
minis , & volucrum , & quadrupedum , & serpentium . Et
ita quideiplos errare & fædè labi necesse erat , quòd
fundamento destituerentur , quòd niti debuerant &
hanc scientiæ divinarum rerum structuram firmare .
Inconstantiem dubitationis vento in mari variarū
opinionum circumagitabantur ita , ut , ubi consisten-
dum , ubi anchora jacienda , ubi portus inveniendus
esset , prorsus ignorarent . Evidem Cœli illud admi-
randum

Rom. I.
v. 21.
& seqq.

De Principio Fidei Christianæ.

7

randum opus intuebantur, ibi q; numinis alicujus su-
premi Majestatem ceu in Aula sua dominari, & in o-
mnia inferiora imperiū exercere, rationib; non con-
temnendis conjecturare poterant. Temporū enim
vicissitudines, rerum omniū non minus sapiens pro-
ductio, quā prudens conservatio, & alia omnipoten-
tis Naturæ superioris indicia facile evincunt, non ca-
su fortuito fieri, quę ortus & interitus sui vices, modo
ā natura constituto explent: ut, si vel unam Solis lu-
cem, quę totum hoc universum à tenebris vindicat,
consideremus, quis eò dementiæ progrederetur, ut
hoctantum opus alii, quam Numini isti adsciberet,
cujus immensa potentia angusti intellectus nostri
captum longè superat? Hoc enim est, quod Aposto-
lus testatur, *D E I t u m i n v i s i b i l e m e s s e n t i a m , t u m i n f i n i -*
Rom. I.
v. 20.
t a m p o t e n t i a m & d i v i n i t a t e m ē m u n d i c r e a t i o n e & i n -
t e l l i g i & c o n f i c t . Verum quis ille sit Deus, & quomo-
do coli ā nobis velit, id mens nostra amplius non
perspicit, postquam acies ipsius peccati tenebris est
obfuscata. Terrenis enim adhærescimus, nec in illos
clarissimi solis divini radios caliginosis oculis nostris
intueri possumus, nisi perspicillo scripturæ sacrae ad-
hibito, quod ea omnia clare nobis & perspicue sistit,
quæcunque de essentia & voluntate Dei ad salutem
eternam nobis scitu sunt necessaria. Ea proptet hoc
scri-

scripturæ unico , & non alio perspicillo uti in spiritualibus parest , si æquè esse Christiani , quam videri velimus . Verum & hic suam potentiam veritatis hostis Diabolus exierit , dum hominum animos opinionibus falsis fascinat , & à verbi divini puritate , modò ad raptus & revelationes peculiares , modò ad commenta hominum abripit , ut scripturæ sacræ autoritatem vel nihili pendant , vel mortalium libidini subjiciant , è cuius præscripto & arbitrio ejus robur & existimationem metiuntur . Hoc est illud validissimum Cacodæmonis telum , quo veram haec tenus Ecclesiam audacissimè impugnavit , & ipsius commodo & incremento immane quantum obstitit . Tanto igitur cautiøres hac in re nos esse oportet , quanto acrius salutis nostræ hostem in id incumbe-re videmus , ut hoc salutare & unicum fidei nostræ fundamentum evertat , & omnem simul futuræ beatitudinis certitudinem è manibus nostris eripiat . Cum igitur ab Amplissimo hoc Academiæ nostræ Collegio nominatus , & à Clementissimâ Comite & Domina mea , Illustrissima Comite & Domina , Do-mina ELISABETHA , Comite Holsatiæ Schaumburgi & Sternbergæ , Domina Gehmæ & Bergæ , na-ta Comite & nobili Domina de Lippia &c. constitutus & jussus sum , ut juxta cum Philosophicis studiis , ad quæ

De Principio Fidei Christianæ.

9

ad quæ ordinaria professione sum obstrictus , etiam
in Theologicis , quantum Spiritus Sancti gratia cle-
menter largita fuerit , studiosam juventutem legen-
do & disputando informem ; constitui apud me pri-
us , quam lectiones meas publicas incipio , de vero &
unico Fidei nostræ fundamento & principio , tum
quomodo circa illud heterodoxi peccent , tum de
eodem orthodoxi rectè sentiant , hac oratione , sim-
plici stylo differere ; Quod dum facio , peto à vobis
Auditores , ut benevolentia mihi vestræ usurâ hujus
horulæ spacio frui permittatis .

Principio autem isti , qui in regenerationis lava-
cro apud Christum nomina sua sunt professi , in eo
conveniunt omnes , quod principium salutis nostræ
primum , aliud non ponunt , quam Deum ; hunc Do-
minum suum , fideiq; suæ & religionis Moderatorem
non poslunt non agnoscere ; Iste enim potius stolidi
quam absurdii , amentes quam errantes sunt haben-
di , quicunq; solem sine solis luce , hoc est , extra Deum
divina , extra Spiritus Sancti dictamen cœlestia quæ-
rere fuerint ausi . Et sanè , non his tantum , qui Chri-
stum ceu Dei filium colunt , certissima hæc sententia
est ; sed & Mahometistæ , & saniores ethnici omnes ,
qui summum bonum à malitia , perfectionem ab in-
becillitate , Deum à Diabolo , vel solius rationis du-

B

Qu

Et u& dictamine distinguere non prorsus sunt inepti,
 idem nobiscum fateri non dubitant. Evidem Ma-
 nichæorum impietas & rabies duo inter semet pu-
 gnantia, utraq; tamen valida utraque æterna princi-
 pia, unum optimum & Lucem, alterum pessimum &
 Tenebras, unum beatitudinis, alterum infelicitatis
 & miseriae nostræ causam, ex astuti Dæmonis, sibi
 cultum quærentis inspiratione fingebat: quam per-
 veroram religionem cum ethnicis nonnullis commu-
 nem habebant, sub hoc discrimine, quod hi utrumq;
 cultu divino prosequendum negarent, isti statuer-
 rent: Bonum quidem, ut felicitatem non largiretur
 tantum, sed & diuturnam esse & perennem vellet:
 Malum vero, ne infortunio mactarentur, quod cer-
 to certius futurum existimabant, si despectui habe-
 retur, & honore, ut putabant miseri, digno non affi-
 ceretur: non secius, quam Viatores, ut iter tutum ha-
 beant, non probis tantum, sed & latronibus, si eos
 comites nocti fuerint, omni officiorum genere para-
 tissimos se sustinunt; illis, ut defendantur, his ne lædan-
 tur, utrisque ut extra periculum maneant, & quod in
 votis habent, ad lares suos incolumes revertantur.
 Verum ut ut ista stultissime credere & asseverare non
 verebantur, ethnici, Manichæi tamen veram salutis
 suæ & felicitatis rationem optimo isti tribuebant

Prin-

De Principio Fidei Christianæ.

II

Principio, bonorum largitori unico. Quamobrem
cum in eo, ut dixi, salutis nostræ Principio primo
Christiani omnes consentiant, hic aures vestras, Au-
ditores, prolixo sermone non detinebo, id potius
acturus, ut ob oculos vobis ponam, quidnam illud
sit, quod tanta inter Christianos jurgia, tantam con-
tentionem excitet, faciatq; , ut discrimine hoc salvo
& superstite, inter se transigere, & ceu spirituales fra-
tres placide convenire nunquam possint. Hæc ve-
rò potior causa nulla est, quam quod de Medio, quo
D e u s fidem nostram stabiliri, quo niti eam voluit,
diversas opiniones fovent, vel, ut clarius dicam:
quod de isto inter ipsos Principio non convenit,
quod Deus ceu fundamentum & regulam omnium
& agendorū & credendorum constituit. Hæc omnis
contentionis, omnis dissensus unica, certè potissima
causa est, & omnium, quibus Ecclesia tantum non
opprimitur, calamitatum lerna, adeò, ut, quidquid
de Pandoraë pixide pestilentissima Poëtæ sunt fabu-
lati, de hac opinionum varietate multò rectius dica-
tur, quam infensissimus hostis noster mundo eam
ob causam immisit, ut non tantum Christianorum,
eiusdem Patris filiorum animi in diversas partes di-
straherentur, & concordiaë nexus, quos tam anxie
Salvator nobis commendavit, rumparentur, sed ipsa

B 2

Dei

Dei Ecclesia in tot partes scissa, circa veritatem, quin & salutem æternam naufragium faceret, & hac amissâ, juxta cum damnatis spiritibus, æternis flammis ustularetur. Et sanè, quæ unquam caccodæmoni fuisset aptior via & apertior, qua adoriri Ecclesiam, & in perniciem secum trahere felicius posset, quam si ab isto principio & medio seducat homines quo amissio omnis salus & felicitas simul concidit & exspirat? Noverat autem astutissimus ille nocendi artifex, in verbo divinitùs patefacto, & singulari Dei providentia in litteras redacto, omnia ista contineri, quæ & simpliciter credi à nobis, & vitâ pie exprimi Deus jussit: Quapropter, si istum, pretiosissimum thesaurum vel omnino vanum, vel suspectum saltem, dubium & vilem reddere nobis posset, facile videbat futurum, ut & animis nostris veritas eriperetur, & salus hominum æterna proderetur. Quemadmodum autem merces suas fallas impostores nobis obtrudere non possunt, nisi speciem bonitatis mentiantur; ita & Diabolus errores suos fuso quodam splendido & singularem quandam sanctimoniam præ se ferente oblitus, ut hominibus sibi suoque cerebro fidentibus, vel ceui ipsius Dei verbum, vel verbo isto pretiosiores perfectioresque appareant. Hoc glaucomate Schwenckfeldianis,

Liber-

Libertinis, Anabaptistis, aliisque fanaticis hominibus imponit Diabolus, dum ad sacrarum scripturarum contemptum eos abducit, quas hoc colore iis depingere solet, ac si litteræ sint occidentes, mutæ, impotentes, quibus nullainsit vis, nulla efficacia hominem ad salutaria suscitandi. Hac impudentia & impietate pleni, non possunt non ridere eos, qui in istis vitam æternam querunt. Clamitant enim, se, non quod in faba pueri, sed longè præstantius inventisse, quod ad cœlestia gaudia hominē deducat; spiritum nempe efficacissimum à Deo sibi desuper immisum, cuius instinctu & potentia, omnium eorum accuratam habeant cognitionem, quæ Christianis sci-
tu sunt necessaria; quinimò se à spiritu sancto totos duci, totos illustrari; hoc duce, hoc auspice, ecognoscere ea, quæ nulli alias hominum nota sint; se enim non informari litteris inanibus, scriptis ab inobediente Mose, adultero Davide, fœneratore Matthæo, abnegatore Petro, perseguitore Paulo; sed revelationibus spiritus sancti immediatis se doceri ita, ut Numen istud supremum ad autes usque suas se demittat, & religionis fideique arcana præsens loquatur. Hunc esse ipsum spiritum qui vivificet, scripturam autem litteram istam, quæ occidere ab Apostolo dicatur. Verum, quam misere errent isti,

B 3

^{1. Cor. 2.}
quod ^{v. 6.}

quod sepositâ clarâ Dei voce fallacissimi spiritus colloquia sectantur, & ab isto immediate informari cipiunt, irreparabili suo damno experiuntur. Quam primum enim persuaderi sibi patiuntur, Scripturam Sacram inbecilliorem esse, quam ut hominis salutem promovere, Dei gratiam & favorem conciliare, ejus essentiam & voluntatem manifestare, nos non vitam nostram fidemq; informare satis possit; omnem fenestram, omnes portas Diabolus habet apertissimas, per quas ad istiusmodi homines introire, & quæcunq; vult, ipsis imaginari, tectisque fallaciis instillare quam facilimè potest. Neq; enim sub specie Satanica ipsos primum aggreditur, sed in Angelum Lucis se transformat, quin sub ipsius sanctissimi spiritus forma præsens est, auribusq; hominum svavissimâ & carni acceprissima voce insurrit, quam facilis, quam expedita ad salutem via sit, postquam satisfactione per Christum impletâ, repagulum sit fractum, ambages sublatæ, difficultas remota, hostis oppressus, potentia nostra roborata, & felicitas nobis gratis dâta. Ita ad securitatem homines pedetentim allicit Cacodæmon, ut pro ludo quasi & joco habeant rerum sacrarum tractationem, scripturam pro ludibrio, ut neq; divina neque humana jura amplius curent, quidquam sed mente simul & voluntate occæcati,

houp

cati, quidquid carnis libido svadet, quidquid sensum urget appetitus plenis venis sequantur. Sed hoc maximè in iis detestandum est, quod scelera sua non aliter volunt reputari, quam Dei ipsius opera & iusta. Si quis enim alienæ uxoris pulcritudine captus, impudicissimo erga illam amore flagrat, supremo isti & castissimo Numinis omnia imputat: quin sine rubore ad mulierem accedens, omni leposita verecundia fatetur, spiritum suum carnis ejus desiderio teneri, ista, non tantum non detrectat scelus, sed quasi ad divinum cultum cum Adultero ad fornicem prooperat. Ita nimirum per scripturæ sacræ contemtum homines eò rapit Diabolus, ut scortationes, Adulteria, Homicidia, & quæcunq; scelera, etiam flagitiosissima, ceu sacro sancta habeant, & ad ea sanctissimi Numinis svast se vocari, impudentissimo ore afferere non horreant. Hæc per astutiam suam ita disponit hostis noster, tum ut vera fides cum fructibus suis eradicetur, tum sacro sancta divina Majestas in suspicionem apud nos veniat, ipsam quoq; sceleribus & flagitiis nostris delectari. Nos autem, qui meliora è sacris litteris sumus docti, omnem meritò movemus lapidem, ne ad istiusmodi perversissima dogmata nequissimus ille salutis nostræ adversarius nos abripiat, totis viribus laborantes eò, ut in ipsa Dei veritate,

tate, quam secundum misericordiam suam in verbo suo nobis manifestam dedit, unicè acquiescamus, neq; admittamus quidquam, quanti etiam sit splendoris, si aliunde adducitur. Novimus enim, quanta severitate Deus noster jubeat, ut in verbo suo simpli-
 citer acquiescamus, neque vel ad dextram vel ad fini-
 stram unquam declinemus, sed illam insistamus viam,
 quâ Deo præente ducimur. Quapropter commi-
 nationis istius semper memores simus, qua nobis
Jos. 1.
v. 7.8. Deus lucem gratiæ lux matutinam denegat, si extra ejus
Ela. 8.20. legem & testimonium in divinis seu spiritualibus quid-
Psa. 19. quam statuerimus. Perfectissima enim iussa DEI nostri
v. 8.
2. Tim. 3.
15. sunt, nec non ejus conditionis & efficaciam, ut sufficien-
 tissime nos instruere ad salutem possint. His igitur solis
 nitendum, his unicè fides adhibenda est, in illis, quæ
 ad salutem nostram faciunt, usque adeò, ut & Angelus
Gal. 1.8. de cœlo pro anathemate sit habendus, si alia nos doceat,
 quam quæ in verbo suo Deus nobis tradidit. Quid
 ergo revelationes novas expectemus, ubi revelata
 dudum sunt omnia, quæ scire nostra interest? Quid
 spiritum loquentem desideremus alium, ubi sum-
 mus ille spiritus DEI omne salutis negotium planè
Luc. 16.
27. seqq. nobis est loquutus? Quin potius memores simus
 divitis illius epulonis, qui, cum pro sceleribus suis
 meritas in inferno pœnas lueret, & ab Abrahamo
 hoc

hoc tandem impetrari optaret, ut ex beatis manibus
quidam ad fratres suos mitteretur, qui ipsis & infan-
dos æterni supplicii cruciatus indicaret, & ad rectam
vivendi viam eos induceret, tale responsum ferebat:
Habent Mosis & Prophetarum salutaria scripta, ex
his informari se patientur, si felicitatis æternæ civita-
tem exoptant; quicunq[ue] enim hisce fidem derogave-
rit & obsequium, is ne quidem animum inducit un-
quam, fieri posse, ut ex morte aliquis sit resurrectu-
rus. I nunc, & cœl litteram mortuam & occidentem
illud insectare, unde vita tibi & salus æterna expe-
ctanda est; In nunc, & fallacissimorum spirituum col-
loquiis & responsis innitere à quibus ad scelera & fla-
gitia, quin ad furiarum societatem, tanquam ad ma-
estationem bos deduceris. Verum ad hanc perversam
mentem ipse forsan Apostolus viam tibi sternit,
dum spiritum vivificare, litteram vero occidere fuit con-
fessus. O commentum impudens, è plus quam dia-
bolicam calumniam! Quis enim sibi persvaderi pa-
tiatur, Apostolum hic pedibus conculcasse scriptu-
ram, quam alibi super astra extulerat? & Dei verbum
hic pro littera mortua & occidente habere, cui tan-
tam assignat efficaciam, ut scribere non vereatur,
ejus ope hominem plenè informari ad salutem, quin & per-
fectum reddi, & ad omne bonum opus instructum? Neq[ue]
2. Tim. 3.
v. 16, 17.

C igitur

igitur per litteram, universum Dei verbum, neq; per spiritum, aliquem extra scripturas loquentem inteligit, sed instituit comparationem inter Testamentum Vetus & Novum, sive, quod idem est, inter Legis & Evangelij Doctrinam, ita, ut Legem, quod gratiam se implendi nobis non adfert, sed transgressores (omnes autem tales sumus) æternis poenis adjudicat, dicat occidere ; Evangelium autem, quod Dei favorem & satisfactionem Christi nobis offert, & ita spiritum largitur Deo obediendi, vim in se vivificandi continere & reapse eandem apud nos exercere, haud immerito creditur.

Sed hæc omnia nobis forsan planiora sunt, quam ut prolixam expositionem efflagitent, cum in eo Christiani reliqui omnes conspirare videantur, Sacram Scripturam Dei verbum esse, & à Deo cœlitus nobis revelatum, ut fidei & religioni nostræ fundamentum præbeat. Certè hanc firmam & fixam sententiam omnibus Christianis esse oportet, quicunque è scriptura fidei suæ robur petere & conclusiones suas firmate conservaverunt. Verum enim verò tanta hic apud multos perversitas, tanta impudentia occurrit, quæ sine horrore recenserri vix potest, & quod maximè est dolendum, illi ipsi hujus impietatis rei sunt, quisibi solis Ecclesiæ nomen venditare, & pro legitima

De Principio Fidei Christiane.

19

legitima & sanctissima Christi cohorte se gerere audiunt, ut pro abominatione etiam, diris omnibus devovenda habeant, qui ab immundâ ipsorum Sodoma exire properant. Quos hîc digito monstrem, planum est: Quis enim istas pontificiorum furias ignorat, quibus in scripturam sacram debachantur, quoties ejus vi & robore premuntur? Evidem non sum nescius, quam impudens, dum hæc assero, calumniator habear ab illis, qui in Pontificis Romani decretis acquiescunt, dum mendacii me insimulant & atrocissimæ injuriæ reum peragunt, quâ sanctissimam Petri naviculam me afficere, quin & in sacro sanctam Imperatoris nostri Majestatem [quam subjectissime veneror] ore sacrilego me peccare clamitant, quod talia istius Ecclesiæ Doctoribus religiosissimis affingere, juxta cum aliis meæ farinæ hominibus, nihil me pudeat, quæ in mentem ipsis nunquam, ne perfidim venerunt. Et sanè, nunquam negatum ibo, ipsis, quoties salva religione sua & Pontificis autoritate possunt, omni conatu in id laborare, ut sacrarum litterarum observantissimi habeantur. Quis enim dulcem istam Cardinalis & Jesuitæ Bellarmini fistulam non deprædicet, qua hanc nobis savissimam exhibet cantilenam; Propheticos & Apostolicos libros juxta Ecclesia sua mentem, verum Dei verbum esse, &

C 2

certam

Bellar. lib. i. de verb. Dei cap. i. & 2.
 Tom. i. col. 68.
 lib. g. de analys. f. dei. cap. 4.
 lib. i. Hie rat. Eccl. cap. 2.
 lib. 3. cont. Brent.

certam ac stabilem regulam fidei. Item : Hac Scriptura nibile esse certius, nihil notius, cum regula credendi non solum sit certissima, sed tutissima quoque, ut profecto sanus non sit, qui eam neglexerit, cuius scriptores sacri, ipsius Spiritus Sancti calamiret dicantur. Eandem, sub Elavi veste, Jacobi vocem emittit Gregorius de Valentia, dum fatetur, lumen revelationis (quod scriptura est) Summum esse & ultimum principium. Et alio in loco perhibet, Scripturam Sacram sonorum Dei esse verbum. Ita eos facte loqui docuit, nullis quam Jeluitarum societati magis probatur Tridentinum Concilium, quod in primo quartae sessionis decreto anathemate ferit omnes, qui Veteris & Novi Testamenti libros quoscunque, pro sacrifici & canonici non suscepserint. Hanc sane ipsorum faciem externam si specetes, videntur esse quantivis pretiis verum, quantum ab hoc fuco Mens ipsorum discrepat, vel ex eo judicatu est facile, quod Scripturam Sacram modo obscuritatis arguunt & imperfectionis, modo omni autoritate quoad nos destitutam esse, censemant. Ita enim Pighius scribere non dabitat : Scripturam Sacram ex se ipso aut suis autoribus nullam autoritatem apud nos habere, nisi ab Ecclesia accepto veritatis testimonio. Cardinalis Hosius non minore eam afficit injuria, dum haec asserit : Revera, inquit, nisi nos Ecclesia doceret autoritas, hanc Scripturam

ram

ram esse Canonicam, per exiguum apud nos pondus haberet.
 Gordonus Huntetus, his longè audacior, omnia Tridentino Cōcilio Scripturam debere putat, quid-
 quid habet certitudinis. Hæc enim alicubi habet:
Constat, Scripturam Canonicam suum robur & autorita-
tem acceperit, non ab approbatione primitivæ Ecclesiæ, sed
potius ab approbatione subsequentis, imo etiam presentis
Ecclesiæ, nimirum Concilij Tridentini. Omnes tamen
 Scripturæ contemtores insolentia sua superasse Ca-
 ranza videtur, quia prima controversia hæc evo-
 muit: *Primum principium certum infallibile, ex quo po-*
test demonstrari, aliquid esse verum & indubitate tenen-
dum in fide & religione Christiana, est SINE ALIQUO
SCRIPTO (hoc est, sine Scriptura Sacra) *Ecclesiæ-*
stica traditio, & universalis Ecclesiæ communis defini-
tio. Sed ne nos lateat, quid per Ecclesiam velint
 intelligi, sciendum est, non congregationem fide-
 lium, nec omnes seu plurimos eorum Doctores, sed
 unicum & solum Papam Romanum in hoc casu pro
 Ecclesia ab ipsis haberi; ad hunc omnia rejiciunt,
 quidquid certi, quidquid veri in Ecclesia docetur.
 Audire quæso inter multos alias Abrahamum Bzo-
 vium, suum nobis Romanum Pontificem in suo isto
 tractatu passim sic depingentem: quod sit *Catholice* ^{cap. 12, 23.}
fidei conditor, sacrorum dogmatum Demiurgus; *Domus* ^{15, 14, 14,}
que columnæ & firmamentum est veritatis: supremus

paterfamilias; Doctor universi orbis, nec fallere nec falli sciens, nec iudicari à quoquam hominum potest. Verum hæc tolerari quodammodo posse viderentur forsan, nisi cum extremo Scripturæ Sacrae contemtu essent conjuncta. Hæc enim tam vilis ipsis est, ut eam cum Naso cereo, cum Regula Lesbia seu plumbea cōparent, quinimò usq; adeò, elevare non horreant, ut in sensu quasi pium assumere audeant, si quis dicat; Scripturam, si Ecclesia (hoce est, Papæ) autoritate destituatur, non plus valere quam Æsopifabulas; quam vocem blasphemam lib. 3. contr. Brentium Hosius eruçtat. Ita nimirum ex hoc scripture contemtu animus illorum crescebat quotidie, donec eam divinitate suâ privare, & libidini suæ subjcicere, impudentissima temeritate pergerent. Quid enim aliud sibi vult, quod Andradius lib. 2. Defens. Concil. Trident: habet; Nempe in libris istis, quibus sacra mysteria conscripta sunt, NIHIL QVID QVAM INESSE DIVINITATIS, quæ ad credendum illa, quæ illis continentur, religione quadam nos constringant. Unde Coccius tantos sibi spiritus sumvit, ut adsereret, Fidem nostram non dirigendam esse juxta scripturam sacram, sed scripturam sacram regendam juxta fidem nostram. Quam buccinam cum ipso inflat Caranza, qui in controversia secunda docet, oportere Scripturam sacram regulari per Ecclesiam, & non contra. Hinc Mat-

lib. 6.
art. 30.

Matthias Bredembach in libro de diffidiis Ecclesiæ componendis in hæc erumpit: *Neque enim scriptura, inquit, est judex Ecclesiæ; sed Ecclesia est & judex & interpres scripture.* Eundem Pighius errorem fovet, in libri primi capite secundo suæ Hierarchiæ Ecclesiasticæ contendens, *scripturas factas esse, non ut fidei nostræ religionique præfessent, sed ut subeßsent potius.* Omnitum tamen impudentiam superavit Noguera, qui lib. 2. de Ecclesia, hanc Christi doctrinam fuisse statuit, ut, *qui scripture quam Ecclesia plus fidei adhiberet, is ethnicus & publicanus, atque à populo Dei extraneus judicaretur.* Ex quibus omnibus, quis non capiat facile, quo loco scripturam sacram habeant pontifici? Certe, nisi mihi & omnibꝫ rectè mecum sentientibus pro cerebro fungus est, aliter judicare non possumus, quam istiusmodi Scriptores Verbum Dei sacrosanctum tantummodo pro operculo adhibere, quo sum am istam impietatem tegant, qua Divinis legibus & statutis se prorsus cupiunt exemptos; quam retinere & freno compescere amplius non possent, nisi non nullos excitaret Deus noster, qui perniciosissimo huic errorum cataclysmo ceu murus aheneus se intrepidè opponerent; ne omne Dei verbum pessum detur & ē manibus simul & animis nostris eripiatur. *Quis enim non videat, hæc omnia eò dirigi, ut Pontifici*

tifici Romano omnis planè & absolutissima potestas tribuatur, pro lubitu in rebus sacris statuere, jubere, mutare, tollere, judicare, ita, ut nihil sit in universa Christianorum religione, quod non ab ipsius nutu vim & autoritatem sumat. Quid enim aliud Gregorius ille septimus, alias Hildebrandus dictus, suo quæsivit Decreto isto impudentissimo, quò jubet, *nullum librum Canonicum nos admittere & habere absq; Romani Pontificis autoritate?* Sed ô nos miseris, ô nos nunquam felices, si ab ipsis nostræ fidei pendeat certitudo, quorum tanta tamq; atrocia sæpè fuerunt scelera & flagitia, ut monstra hominum & perditissimi nebulones, quin sub humana specie in carnati Diaboli, non ab hostibus, sed cultoribus suis additissimis haberentur. Tales inquam sœpius fuerunt Romani Pontifices, qui nihilo tamen minus tam firmam Spiritus Sancti cohabitationem sibi tribuebant, ut cor suum pro scrinio veritatis, vocem pro ipsis Dei oraculo venditare non dubitarent. Possemus equidem hæc omnia & rationibus & exemplis roborare tam firmis & indubitatis, quæ nullus adversariorum, quibus aliqua frons est, negare audeat, quin & ea, quæ suprà, adversus sacratissimam Verbi Divini autoritatem ex adversariorum scriptis candidè & sincerè producta sunt, pia refutatione evertere.

Verum

Verum quia operosius utrumque est, quam ut tantillo hoc, quod nobis restat, momento præstari dignè possit, & occasio forsitan dabitur, alio tempore de his ita agendi, ut & adversariorum argumenta, exactiore trutina ponderemus, & rationibus sufficien-
tissimis sacro sanctam Scripturæ Majestatem statu-
minemus; hac quidem vice ea tangere saltim & indi-
care voluimus, quæ vel audita, refutata satis sint &
credantur, si saltem simus pii. *Quis enim dimoveri*
se hominum commentis patiatur a saluberrimis istis
Israelis fontibus, e quibus omnis ad nos Dei cogni-
tio, omnis salus profluit unice? *Quis unius vel alterius*
Jesuitæ impietati credat potius, quam electo isti
Dei organo, Spiritus Sancti jussu docenti: Scripturam
Sacram, & divinitus esse inspiratam, & utilem ad docen-
dum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in-
justitia; ut perfectus sit homo DEI, perfectus inquam,
& ad omne bonum opus instructus. *Quis nisi tenebra-*
rum & perditionis filius e manu libens seponat lu-
cernam istam illustrissimam, ac lucem sole splendi-
diorem cum nebulis illis permutet; illam nempe lu-
cernam, illam Scripturæ Sacrae lucem, qua Rex & Psal. 119.
Propheta David, etiam si cum ipso DEO haberet col-
loquia, se tamen illustratum fatetur, & quam eidem
usui Beatissimus Apostolus Petrus nobis in Epistola cap. 1.

2. Tim. 3. 16.

v. 105.

D

v. 19.
sua

sua posteriore commendat, inquiens : *Habemus firmorem propheticum sermonem, cui benefacitis atten-tes, quasi lucerna lucenti in loco caliginoso, donec dies illu-*

Deut. 4. 6. cescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris. Hac sanè nostra sapientia est, quam hominum, immò Diaboli fallaciis & sophismatibus eripi nobis non patientur; Intelleximus noster est, à quo, tanquam stulti & errantes non recedemus. Quidquid enim in eo propositum nobis est, observare & opere implere à Deo nostro per Mosen jubemur. Quidni ergo Hoc Dei verbum salutare cum omnibus primitivæ Ecclesiæ Doctoribus tanquam fidei nostræ Regulam & principium Religionis unicum suspiciamus & adoremus? Contra vero, qui fidem ei & autoritatem eripere cupiunt, Diis manibus, Telluriq; devovemus, quod perversa sua doctrina à Deo ad Idolum, à Christo ad Pontificem, accelo ad infernum nos seducere satagunt. Certè enim Beatus Athanasius, athleta iste Dei for-

in Synops. tissimus, non Pontificis placita, sed sacras litteras pro certis anchoris fidei nostræ & sustentaculis habebat. Et

*contr. Eu-
nom. I.*

Homil. 13. vinitus inspiratam Scripturam esse dicebat. Quapropter Chrysostomus syadet & vult, ut, quidquid hic aut ille de rebus fidei sentiat, nihil morantes, à Scripturis omnia

hæc

*hac requiramus. Nec dissentit Augustinus, qui cum de Baptismo cum Donatistis rem haberet, hanc tum si-
bimet ipsi, tum adversariis suis regulam ficebat uni-
ciam. Non afferamus, inquit stateras dolosas, ubi appen-
damus quod volumus, vel quomodo volumus, pro arbi-
trio nostro dicentes, hoc grave est, hoc leve est; sed affer-
amus divinam stateram de Scripturis sanctis, tanquam de
thesauris dominicis, & in illa quid sit gravius, appenda-
mus, imo non appendamus, sed a Domino appensare cognos-
camus. Eandem de Sacrae Scripturæ certitudine, au-
toritate, Majestate sententiam amplexi sunt non pri-
mitivæ tantum, sed & sequentium Ecclesiarum Do-
ctores omnes, donec postremis hisce perditissimis
seculis Pontifex Romanus per sua mancipia, omnia
transcendere, neque tantum hujus orbis Principes,
Reges, Imperatores pedibus suis subjecere & concul-
cate, sed & ipsum Dei sacratissimum verbum sualibidine tractare, & ad suos conatus pessimos detor-
quere, impudentissima temeritate quæreret; præser-
tim, cum essent, quorum mentes à Spiritu Sancto il-
lustratae, impiis hisce conatibus fortiter se oppone-
rent. Eapropter vel ex ipsa novitate, dogmatis hujus
falsitas & error tatis appetit omnibus, qui omnem
veritatis aspernum non ejurarunt. Nos pro veritate
agnita D e o nostro clementissimo immortales agi-
mus*

*contr. Do-
nat. lib. 2.
cap. 6.*


mus gratias; ille Spiritus sui sancti lumine nos porrō
illustret, nostraq; studia regat & moderetur, ut in ve-
ritate permaneamus & ad solius Dei gloriam ac Ec-
clesiae incrementum, operam & laborem nostrum
impendamus. Conservet etiam & protegat Comi-
tem & Dominam nostram benignissimam sub mis-
ericordia sua alis; regat Consiliariorum mentem &
Professorum, & Academiam nostram, agrum suum
& hortum, aquam benedictionis sicutientem riget, ex-
colat, tueatur; Spiritu concordiae & pacis corda no-
stra, tanquam glutine & nexu indosolubili constrin-
gat, & misericordia sua omnem bellum impetum a cer-
vicibus nostris avertat, ut honorem tuum ó Deus
promovere, Studiosae juventutis salutem curare, &
in pietatis & virtutum Christianarum officina, opti-
ma semper agere possimus. Tibi soli sapienti, soli po-
tentis D E O sit laus, honor, gloria, & gratiarum
actio, nunc & per omnia futura
secula.

*Irreperunt in auctoris absenitia, vicia nonnulla, qua bene-
volus lector sic corrigat.*

Pag. 3. lin. penult. cognoscimus. p. 4. l. pen. extremo. p. 5. l. 2. quantum. p. 12. l. 5.
admirari. p. 13. l. 19. persequuntore. p. 14. l. 7. pro nos lege. nec. Leviora hic notare nolo.


F I N I S,





Kreis- u. Stadtbibliothek
Haldensleben





XVI